



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Thesaurus|| Locorum|| Communium|| Jurisprudentiæ

Barbosa, Agostinho

Lipsiæ, 1697

Cap. V. De Calumnia, Calumniatore. (Conf. loc. infra de (Fama))

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80071)

bus supra lib. 1. cap. 17. Axioma 3. v. not. ad l. 31. §. 1. de reb. autb. jud. poss.

CAP. V.
De Calumnia, Calumniatore. (*Conf. loc. infra de (Fama)*)

Axioma I.

Calumniari is non solum dicitur, qui causam injustam defendit, sed etiam qui eam indebitè differt *text. in l. quisquis 6. §. præterea 2. C. de postul. Gail. 1. observ. 88. num. 9.* Ratio, quia qui indebitè differt, negotium facessit. Calumniari autem dicitur, qui alteri fraudulenter negotium facessit. Sic enim Paulus *1. recept. sent. de calum.* Calumniator est, qui sciens prudensque per fraudem alicui negotium facessit, *vid. Regn. Sixt. inter Conf. Marp. consil. 16. n. 14. vol. 3.*

Sed limitationis loco notandum, quod Calumnia duplex ostendatur *in l. 1. §. 3. ad Sctum Turpill.* quaedam enim talis est ratione eventus, & non punitur: quaedam ratione formæ & dolosi propositi, & hæc punitur. Porro quaedam calumnia est manifesta *l. 43. in fin. de petit. hered. C. A. th. 8.*

II.

Calumniari is non præsumitur, quem officii necessitas excusat. *l. post legatum 5. §. advocatum 13. ff. de his quib. ut indign. l. 2. C. qui accusar. non poss. Gail. 1. observ. 90. num. 5. Farinac. quest. 16. num. 24. Klock. 3. consil. 193. num. 13.* sicut nec is qui jussui Magistratus obtemperat, cui parere necesse habet *text. in cap. quod quis 24. de R. I. in 6. l. non videtur 167. §. qui jussu 1. 65 in l. velle 4. ff. de R. I. Gail. 1. obs. 88. n. 4.* qui enim facit ex necessitate, magis est dignus favore, quam qui facit ex voluntate *l. quod minor. 24. §. 4. de minor. Zasius in parat. de calumniat. n. 2.*

CAP. VI.

Capere.

Axioma I.

Melius est unum tene, tene, quam centum cape, cape. Accursii hæc sententia est *in l. cum hi 8. de transact.* Sensus autem hujus axiomatis ille est, quod melius sit accipere pecuniosam præsentem, quam expectare longè majorem summam, sed cum molestia & litigio. Vid. hac de re *Carpz. p. consil. 1. de fin. 15. per tot.*

II.

Gloriosius est in acie occumbere quam capi. Hinc filius ab hoste captus patri in excusatione non prodest, casus prodest. *Brumm. Cod. de iis qui numero liberor. p. 904. col. 1.*

Capitale. v. infra Sors.

CAP. VII.

De Capitis Diminutione.

Axioma I.

Quoties quis amittit libertatem, toties maximam capitis diminutionem patitur.

Ratio, quia libertate amissa omnia amissa censentur, cum quis jam mortuus habeatur. *l. 32. ff. de R. 7. Exemplum est in fervis pœnæ.*

Limita: ut intelligatur de libertate ex jure gentium competente *§. 2. Instit. de capit. dimin.* non verò de libertate ex jure quiritum, de qua intelligenda *L. 5. §. 3. ff. de extraord. cogn.* hæc enim nihil aliud est quam status civitatis adeoque per deportationem aufertur. *d. l. 5.*

II.

Quoties quis amittit civitatem, toties mediam patitur capitis diminutionem.

Ratio: Est enim Civitatis amissio medium quoddam inter amissionem libertatis & familie. Hanc diminutionem patiuntur hodie, quibus bannum imperii ab Imperatore vel Camera Imperiali propter flagitium patratum aut contumaciam commissam est irrogatum: Item quoad particulares ditiones, qui propter delictum sunt virgis casti & certâ quâdam ditione cum infamia relegati, vel in opus publicum aut ad remos condemnati. *Struv. Jurispr. Rom. Germ. Forens. L. 1. Tit. XIV. §. 4. conf. Stam. de servit. person. c. 1. n. 20. 21.*

Limita, ut procedat, si amittantur jura Civitatis. Secus si alicui tantum denegetur facultas commorandi in civitate, uti delegato. *arg. l. 17. §. 1. de pœn. Carpz. P. 4. c. 47. d. 9.*

III.

Quoties quis familiam amittit, toties patitur minimam capitis diminutionem. Quia reliqua Jura ipsa salva & integra manent.

IV.

Quoties quis nec libertatem nec civitatem nec familiam amittit, toties capite non minuitur.

Ratio, quia Status saltem in his tribus consistit. *vid. infr. verb. STATUS.* Sic Senator ordine motus capite non minuitur *§. 5. Instit. de cap. dimin.* nec relegatus, nec filius qui morte patris sui juris fit.

CAP. VIII.

De Captatione Hereditatis.

Quoties quis alterum heredem instituit hoc pacto, ut ejus hereditatem nondum sibi relictam consequatur, toties voluntas est captatoria adeoque non subsistit.

Ratio: quia turpis talis institutio, utpote quæ tendit ad captionem heredis instituendi. *l. 70. ff. de hered. instit.* Si quis ergo ita scripserit: *Titium heredem instituo, si me quoque instituerit;* erit voluntas captatoria.

Limita